IOANNIS CAMILLI ZACCAGNII ROMANI

Oratio Prima.

DE LAVDIBVS

LEONIS DECIMI PONT. MAXIMI.

Habita ab eodem, in annuis eiuſdem Pontificis parentalibus duodecimo Kal. Februarij MDCXVI. in Almo Vrbis Gymnaſio.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM

CAROLVM MEDICEVM

S. R. E. CARD. AMPLISSIMVM.

Bibl: Soc: coll: Rom: Soc: Iesu
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMAN.



ROMÆ, Ex Typographia Iacobi Maſcardi, MDCXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Mag. Sacri Palatij Apoſt.

A. Epiſc. Carin. Viceſg.

Imprimatur, Fr. Ignatius Ciantes Romanus, Reuerendiſſimi P. F. Hyacinthi Petronij Romani Sac. Apoſt. Pal. Mag. Socius, Ordinis Prædic.

ILLVSTRISS. PRINCIPI
CAROLO MEDICEO
S. R. E. CARD. AMPLISSIMO.

IO. CAMILLVS ZACCAGNIVS ROMANVS F.

QVAM in ampliſſimo litteratorum conſeſſu de LEONIS X. Pont. Max. gentilis tui laudibus, ſuperioribus annis orationem habui, eandem, CAROLE Princeps Illuſtriſſime Sacri Senatus eximium lumen, Romanæque purpuræ decus immortale, vt in præſentia tibi volens, ac libens offeram, facit tua illa incredibilis humanitas, qua huius Aulæ animos dudùm tibi deuinxiſti. Scimus etenim quotquot ſumus omnes, quàm egregia in hac arce terrarum, magnificentiæ tuæ documenta dederis, quàm eximia, quàm præclara, quam prorſus MEDICEA nobilitate digna, tuæ liberalitatis exempla reliqueris, cum te paucis ab hinc annis Romam triumphali penè pompa contuliſti, Cardinalatus inſignia à Pontifice ſuſcepturus. Cum itaquè Maximi LEONIS virtutes ſic feliciter imiteris, vt ipſum nobis exprimere videaris, cui nam iuſtius quam tibi, eiuſdem quas leuiter attigi laudes offerrem? Dabis igitur (CAROLE Princeps Illuſtriſſime Hetruriæ columen, & meum (vt ſpero) præſidium) hanc veniam orationi meæ, vt inter plauſus atque

acclamationes, quibus te vrbs iſta proſequitur, aditum ad te aliquem inuenire poſſit. Quam, obſeruantiæ meæ primum veluti pignus accipias velim, atquè eius quoddam quaſi ſpecimen voluntatis, quam Sereniſſimæ tuæ Familiæ æternùm obſequendi ardentiſſimam habeo. Illud interìm à Deo enixè contendam, vt, quando in te, CAROLE flos Principum Italorum, COSMI prudentiam, LAVRENTII virtutem, ac FERDINANDI parentis tui gloriam illuſtrius refloreſcere cernimus, te quoque LEONEM alterum veneremur.

FRANCISCI GAGLIARDI
ROMANI I. V. D.
ODE
AD IOANNEM CAMILLVM Zaccagnium Romanum.

AVARA fluctu ſi taciturnitas
Obliuioſo res ſine carmine
Merſiſſet, ignaraſq; laudũ,
Alite Mœonio canendas:
Fruſtrà pauori cedere neſcius
Sit auſus armis Hector Achaicis
Obſtare, & Argiuum furori
Troiugenùm probibere muros.
Qui ſubnatantem Prothea terruit,
Fruſtrà carinis viſcera montium
Sulcaſſet, ante ignota nautis,
Et vitreis equitaſſet vndis.
Et quò locorum Neſtora, liuidis
Functum ter æuo, cæca ſilentijs
Damnaret ætas? Quà lateret
Progenies Telamonis audax?
Quid plectra proſint, Laomedontius
Dignoſcit Heros: cuius in æthere
Virtus renidet martialis,
Inque ſenem pietas parentem.
Pimplæa dulcis Muſa vetat mori
Nomen Camilli ſidere clarius;
Iam iamque diuiſos ab orbe
Fama celer ſuperauit Indos.
HETRVSCVS aſtro ſcilicet aureo
Sol, & Latinæ pars bona Purpuræ,
Sui clientelam petenti
Eloquio iubar addit oſtri.
Nec ipſe vana fallor imagine.
Videre ciuem iam videor meum
Felicis Arpini patronum
Ponè ſequi meliore greſſu.
Quin & tuorum, CAROLE, funera
Olim tacentem, facta perennibus
Videbis æternare luſtris;
Et patrios numerare faſces.
Arcana dicam. MATER HETRVRIA
Mihi futuri conſcia temporis
Prædixit œſtro fluctuanti
ROMA quod Imperium rependat.
Quùm cana, dixit, Cæſaries caput
Verenda circum ſerpet amabile;
O quam triumphans altiori
Colle ſuper parat illa Sedem.
Et tunc auitis ſigniferi LEO
BISSENVS aſtris addite circuli,
Regum miniſtros inter, orbi
Iura dabis; meritiſque grates.
Nec cuncta aduret tunc LEO ſidere
Ferox nocenti; nec ſitiens diù
Hiulca tellus ſupplicabit
Ore auido pluuias negatas.
Ager ſed vltrò credita pauperi
Reddet colono ſemina, centies
Adaucta; nec poſtremus vuas
Pomiferi labor abdet anni.
Cæloque labens inuiolabilis
Aſtræa terras, & niueo fides
Velata panno; Gratiaque
Et Pietas, Probitaſque viſent.
Mouenda dicam prælia Thraciæ?
Auulſa LVNÆ cornua? Virgines
Strages Amantum conquerentes,
Et ſebolum ſine lege matres?
Tunc ARNE diues, dulce decus meum,
Tunc TYBRI Regem Biſtonium trahi
Fatale ceù monſtrum reuinctis
Poſt humeros manibus videbis.
Potentiori nomine CAROLVS
Terrebit orbem ſcilicet vltimum,
Cretique fraterno Nepotes
Sanguine, militiam præibunt.

O quas profundo Leucadis æquore
Feruere pugnas hinc video? vbi'nt
Quondàm COLVMNÆ DVX LATINÆ
Quùm rediÿt ſine clade victor.
O quas ruinas, quas Aſiæ neces
Molitur armis MEDICEVM GENVS:
O quale robur nutrit intus
Impauido toga iuncta ferro.
Iam iamque tetris, fœdera Principes
Iurare certi, fluminibus vouent
Caput Tyranni immane Ditis;
Nec pietas mouet vlla pectus.
Haſtata ſecum ducet IBERIA
Aſſueta longis agmina prælijs.
Tu FLORA claſſem præparabis
O Domitrix vtriuſque Ponti.
Quin flaua tandem ſeditionibus
Fractis potentum GALLIA ciuium,
Impellet, indignata pacem,
Atque Equitum, Peditumque turmas.
Quid arma dicam, quidue odium latens?
Iramque condit quam MELITE ſinu,
Ardens paternam Solis aulam
Enſe Rhodon ſibi vindicare?
Et quid LEONIS Iudicis ADRIÆ
Perenne robur? ſiue recenſeam
Terraque quem, tractuque Ponti
Semper idem pariat timorem?
Quò te locorum DARDANA deſero
Dilecta pubes, impenetrabilis
Alumna Gradini, Serena
Pace potens, pariterque bello;
Sat nota virtus eſt tua. Scilicet
Regum ruinis aucta ferocium,
Regina terrarum, ſuperbum
ROMA caput feris inter aſtra.
Quæ potat Hebrum gens, Capitolio
Minata funus, quàm bene viribus
Queis vincis; inſperata collo
Frena pati didicit rebelli.
Senſere quantum cor gelidi tuum
Timoris expers feruidæ horridæ
Per arma SERES; ſcit Gelonus;
Quique Sitim cohibet Garumna.
Nouit Sicamber, nouit inhoſpita
Gens nuda Thules, ſcit rigidus Geta,
Rhenuſque dedignatus olim
Pontis onus capite abnuente.
Quin Potor Indi diſcolor aurei
Nouit QVIRITES atque agere, & pati
(Quod ipſe demiratur hoſtis)
Fortia, vulneribus decoris.
Et mox recentis non necis immemor
Gens æſtuantis bellica Boſphori,
LEONE conniuente, felix
ROMA iterum tua fœdet arma.
Hæc te manebunt, CAROLE, Principum
Spes Italorum: quippe vetant magis
Arcana fari. Sic locuta
Saga tacet, fugienſque riſit.

Eiuſdem Epigramma ad eundem.

DVM tua perpetuat facundia iuſta LEONIS,
Annuaque eloquij debita ſoluit honor:
Ingenti ſic ore tonas, vt viuere dictis
Dicatur meritò Maximus ille tuis.

Aliud eiuſdem Epigramma ad eundem.

NON tua, ſed Magni cum deplorata quotannis
Præſulis ab deſles funera Tybris olor:
Et Probitas, & cana fides, & viuida virtus
Extinctum nequeunt non gemuiſſe Patrem.
Quin Lepor, & riſus gemitum; cantuſque querelas
Induit, & fletu frigida ſaxa tepent.
Scilicet id cogunt illa aurea ſæcla LEONIS,
Aptaque ca ucaſeas lingua mouere Tygres.

OCTAVII TRONSARELLI ROMANI

AD ILLVSTRISSIMVM

CAROLVM CARD. MEDICEVM

Noſtri temporis MÆCENATEM

EPIGRAMMA.

DE IO. CAMILLO ZACCAGNIO ROMANO.

IVRE hoc florenti MAECENAS diceris æuo
CAROLE, Purpurei gloria ſumma Chori.
Claruit Hetruſco MAECENAS ſanguine Regum,
Regibus Hetruſcis tu quoque clare nites.
Vnde tibi hæc meritò LATIA de gente Camillus
Inſcribit grandi verba animata ſono.
Et qui ROMANA nouit ſe ſtirpe creatum
ROMANO eloquio nobile ſacrat opus.
Gaude Palladij MAECENAS cultor honoris
Quem laus, & virtus obſequioſa fouent.
Vtque alijs rutilas tu lux nitidiſſima Regum,
Sic Oratorum lux tibi prima nitet.
VIRGILIVS Priſco iam MAECENATE canebat,
Per te nunc melius TVLLIVS ore tonat.

AVGVSTINI ALBINI ROMANI I. V. D.

AD IOANNEM CAMILLVM ZACCAGNIVM Romanum Nepotem ſuum.

EPIGRAMMA.

SVME Nepos animos non vltima Gloria ROMAE,
Nec te dente ſciat lædere liuor edax.
Scilicet Hetruſci quum purpura Principis ardet
Vndique Phœbæas eiaculata faces;
Vis immenſa tuis intermicat indita dictis
Totus, & eloquij ſpiritus ipſe patet.

IO. CAMILLI ZACCAGNII ROMANI
De laudibus LEONIS X. Pont. Max.

Oratio Prima.

ANNVS nonageſimus quartus agitur P. P. ornatiſſimi, ex quo repetita veſtro quotannis Imperio laudatione, LEONIS X. Pontificis non minus nomine quam virtute maximi, in peramplo hoc magnificentiſſimoque litterarum theatro, quod olim glorioſè diſciplinarum omnium propagationi fundauit,& nomen in hominum memoriam reuocatur,& laudes prædicantur, & deploratur interitus. Vir ſanè memorabilis, atque apud omnem poſteritatem immortalitate digniſſimus, ſiue ſplendorem generis eximium quo fulſit aſpicias,ſiue dignitatis amplitudinem qua decoratus enituit, ſiue litterarum gloriam qua mirum in modum illuſtratus eſt. Idem igitur grati animi officium (quando eſtis humaniſſimi ac beneficiorum non immemores) tanto bonarum artium parenti de more perſoluturi, tacito quidem, ſed tamen publico veſtræ pietatis luctui, meas hodierna luce lacrymas adiungere voluiſtis, quò veſtram orbitatem, omnibus denudata verborum ornamentis, cunctis mea clarius aperiret oratio. Facitis enimuero hoc prudentiſſimè, qui cum LEONIS obitum æquo ferre animo non poſſitis,ad acerbiorem dolorem veſtrum exprimendum, infantis penè (hoc eſt omnium commiſeratione digniſſimi) oratoris eloquentiam requiritis. Sed date mihi hanc veniam per veſtram fidem PP. vt de LEONE quam breuiſſimè dicturus, eius potius eximias laudes attingam, quam interitum defleam: ita enim, & veſtris auribus gratior accidet, Pontificis de veſtro omnium nomine optimè meriti recordatio, & ipſe laudationem iuſtius tanto litterarum propagatori, quam lugubre doloris tributum exoluam. Sed quid potiſſimum in tanta rerum copia Seligam Aud? Quam, è tam ſplendido virtutum numero, quibus glorioſus ille LEONIS animus eluxit, egregiam præ cæteris habebo? Neque enim de LEONE dicturo mihi timendum erit, ne quid inter dicendum de illo mentiar, cuius eximiæ virtutes adeò notæ ſunt omnibus,vt de jis facilè deſipiat qui dubitet Aud. Atque vtinam ego,quemadmodum præclara LEONIS facinora memoria conſequor, ita eadem pro dignitate, tenui hac mea laudatione vobis commendare poſſem. Alius hic (opinor) PP. palæſtræ memor oratoriæ, antiqua MEDICEAE domus ornamenta conquireret, viros omnes cum litterarum gloria, tum armorum præſtantia nobiles proferret in medium, ac per tantæ nobilitatis gradus veniſſe LEONEM prædicaret. Sed miſera planè atque infelix orationis meæ conditio foret, ſi LEONIS decus mutuata ſolum à maioribus luce, non autem proprio ſplendore clarum, eſſet hodiè celebratura. Præſtent hoc ij, qui dum aliquem oratione commendant, maiorum laudes eo tantum nomine recenſent, vt quod in virga non poſſunt, in radice demonſtrent. Id quod ego neceſſe non habeo facere Aud. qui virum omni gloria cumulatiſſimum, ac propè virtutem ipſam laudaturus ſum. Multi ſunt ijque clariſſimi ex antiquis Philoſophorum exedris,qui eò nobiliores ciuitates, ac domus exiſtimandas affirmant, quò viros virtute præſtantiores ediderint: rati, miſeram illam eſſe nobilitatem, quam non ex ſe pepererit, ſed aliundè quis delibauerit. Quam doctiſſimorum hominum ſententiam ex veteribus quamplurimi, cum planè veriſſimam eſſe animaduertiſſent, faciendum ſibi putarunt, vt non ſolum maiorum luce decorati ſplendeſcerent, ſed etiam glorioſo aliquo laborum genere, molliſſimum ſibi ad immortalitatem redderent aditum. Quod de Creticis, Germanicis, Numidicis, ac Britannicis, hiſtoriarum nobis monumenta teſtantur, quibus egregia illa nomina non à fumoſis maiorum imaginibus, non ab antiqua ſtemmatum gloria, ſed à deuictis debellatiſque prouincijs, quas olim ipſi fortiter dimicando Romano populo ſubegère, dein impoſuit non ingrata poſteritas. Quid, ſi

LEO-

LEONEM idem animaduertiſſe dicerem Aud? Qui cum ſe maiorum claritate nobiliſſimum eſſe ſciret, voluit propria virtutum ſuarum amplitudine magnam, Ciuitati familiæque ſuæ nobilitatis acceſſionem fieri; ſic prorſus, vt quoties LEONIS mentio ſiue in hiſtorijs, ſiue in ipſis oratorum vocibus habetur, toties, & MEDICEI generis, & FLORENTIAE Ciuitatis honor glorioſiſſimè celebretur. Age igitur, qua tandem ratione vir ſummus, ad excelſum illud humanæ dignitatis faſtigium peruenerit, diligentius, ac per partes intueamur. Neque enim illud tacitus prætcribo, quod etiam de multis legitur: qui nulla maiorum luce conſpicui, eò tandem virtute peruenerunt, vt immortalitatis gloriam conſecuti ſint. Sed fuerint illi ſanè præſtantes atque hominum commendatione digni, quos ad gloriæ metam certo gradu properantes, nulla calamitatis iniuria, nullus imminentis mali aduerſæque fortunæ impetus retardauit, dummodo cum LEONE non conferantur, cuius virtus eo clarior atque admirabilior extitit, quo magis prope periculum fuit. Repetite memoria (quoniam poteſtis Aud.) maximos illos formidoloſoſque Florentinæ Reipublicæ tumultus, quibus anteactis illis temporibus, penè MEDICEAM domum extinctam, lamentatus eſt orbis terrarum vniuerſus, & vobiſcum animo reputate, quot egregios prudentiſsimoſque viros, quot duces præſtantiſſimos, quot demum Pontifices Sanctiſſimos è tam immani de ſæuientis fortunæ procacitate, virtus, nouo prorſus atque inaudito victoriæ genere per vim eripuerit; neminem inter tot tantoſque viros reperietis, qui ſit cum LEONE conferendus. Non habeo magnoperè neceſſe, quò maiorem LEONIS gloriam veſtris oculis ſubijciam, MEDICEOS omnes inſignes viros in medium proferre, ac ducta penè ſerie, vnumquemque numerando recenſere. Quis enim ignorat, MEDICEOS non ſolum antiquitus populari nobilitate FLORENTIAM illuſtraſſe, ſed etiam prima felicitatis initia à magno illo IOANNIS filio, atque EVERARDI nepote COSMO accepiſſe, qui conſequentibus annis, Ciceronis gloriam æmulatus, ob Remp. benè feliciterque adminiſtratam conſilio, illuſtratam ſapientia, atque ingentibus à ſe beneficijs auctam, publico omnium præconio, Pater Patriæ dictus eſt? Quo de admirabili viro, licet multa eaque maxima conſultò prætercam, illud tamen præterire tacitus nullo modo poſſum: tanto illum erga litteras amore flagraſſe, vt, quantum in ſe fuit, inimica illa virtuti tempora, litteris amiciſsima reddiderit. Quem præſtantis Aui erga litteras amorem, imitatus maximus ille nepos LAVRENTIVS, conquiſitis vndique libris, atque è Græcia diſciplinarum olim altrice, tunc verò ſæua barbarorum dominatione, ſeu potius tyrannide oppreſſa, viris litterarum laude inſignitè claris FLORENTIAM euocatis, à COSMO inchoatam, à ſe mirum in modum auctam bibliothecam illam toto terrarum orbe celeberrimam inſtituit, & exornauit. Vt minimè mirandum ſit, ſi tam glorioſis maiorum ſuorum exemplis inflammatus LEO, litteras tantoperè propagarit, earumque gloriam, celebriorem quam quiſpiam vnquam antea fecerit Aud. Iam verò, quid de LAVRENTIO, LEONIS parente dicam, quod eius amplitudinem æquare poſsit? Quàm enim fuit virtute, innocentia, liberalitate cumulatus? Quot edidit apud Florentinos ciues ſuos (quos incredibili genere charitatis ſemper, & amauit, & coluit) immortalitate digna facinora? Atque vtinam nunquam ad eius interitum ciues armaſſet inuidia, hoc ſaltem haberemus boni, vt tuam quoque IVLIANE virtutem laudare poſſemus, cuius mortem nunc acerbiſsimè deploramus: quæ quidem nobis eò grauior accidit, quò te non hoſtilis externorum militum furor, ſed ciuium tuorum rabies fœdum in morem confecit. Sed hæc miſſa faciam: ne vulnera illa quę præterita iam tempora tolerabilia nobis reddidère, lugubri hac mea recordatione recrudeſcant. Ad LEONEM ergo quem mea laudare contendit, reuertatur oratio: de quo, parum dixero, ſi diſciplinarum parentem, & doctrinarum omnium fundatorem optimum appellauero. Scitum enim eſt, LAVRENTIO adhuc ſuperſtite, tametſi permultis atque inteſtinis ciuium odijs exagitato, Innocentium Pontificem eius nominis octauum (vt quam in LAVRENTIO parente virtutem honoribus exornare non poterat, eandem in filio aliqua ſaltem dignitatis acceſsione decoraret) LEONEM, annum tunc tertium decimum agentem, ac præmatura virtute conſpicuum, Romana purpura cohoneſtaſſe. Nouerat profectò PP. Pontifex ille ſapientiſsimus, tam eximij parentis Filium, magnum olim fructum eſſe Chriſtianæ Reipublicæ pariturum. Nec

tanti Pontificis de LEONE adoleſcente nobiliſsimo ſpes, euentum aliqua ratione fruſtrata eſt; quippe qui non longo poſt annorum curriculo, Vaticani ſolium ſuis virtutibus illuſtrauit. Multa poſſent hoc loco à me de optima LEONIS adoleſcentia, vobis in memoriam reuocari: ſed longior eſſem quam veſtra patiatur humanitas, ſi quæ mihi de eodem ſe ſe dicenda ingerunt, explicare vellem. LAVRENTIVS enim, quippe qui non ſolum politioris litteraturę ornamentis inſignitus erat, ſed etiam abditis Philoſophię locis tractandis, & contemplandis aſſuetus, totam ferè in diſciplinis ediſcendis, euoluendiſque libris ætatem conſumpſiſſet, vt filij quoque animum honeſtiſſimis quibuſque artibus imbueret, humanioribus primum litteris expoliendum, diſertiſſimis præſtatiſſimiſque viris Angelo Politiano, & Bernardo Michelotio tradidit: quorum alter, LEONI ad Poetarum ſuauitatem, alter vero ad eloquentiam (ad quam ille planè natus erat) aperiebat viam. Quo tandem humanarum litterarum curſu perfecto, LAVRENTIVS Senas adire Filium voluit, quas publica diſciplinarum omnium Academia nobilitauerat, vt inibi legum ſtudijs propemodum initiaretur. Sed mirus ille iuuenilis animi ardor diſciplinas omnes ediſcendi, illud facilè prænunciabat, tempus aliquando futurum, quo videlicet oppreſſam planè bellorum tumultibus ac vi ſapientiam erigeret LEO. Id quod ſumma cum laude præſtitiſſe omnes animaduerterunt, qui LEONEM in excelſo rerum humanarum diuinarumque culmine poſitum venerati ſunt. Tarquinium Regem Romanorum poſtremum, accepimus ab hiſtorijs, dum puer atque adoleſcens eſſet tam egregia ſapientia floruiſſe, vt ab ineunte pueritia, canum fuiſſe, STRABO primi nominis author, contendat: appoſitè canitiem in adoleſcente pro ſapientia indicans. Sed quod olim in Tarquinio illo STRABO admiratus eſt, nobis hodierna luce in LEONE prædicare licet; qui cum puer adhuc eſſet, tanta ſapientiæ gloria præfulgebat, vt difficilè iudicaſſes, iuuenis ne eſſet an ætate prouectus: nam vt erat morum ſuauitate atque elegantia iuuenis, ita prudentia Senex eſſe videbatur. Dies me deficeret, ſi quicquid olim LEO geſſit, antequam Pontificiam dignitatem aſſequeretur, oratione complecti vellem. Nam vt ab Innocentio Pont. ſummæ proximam dignitatem acceperat, ita ſub ALEXANDRO diuturnis penè calamitatibus oppreſſus, extra Vrbem non ſolum vitam duxit aſperam atque infelicem, ſed etiam duodeuiginti annorum ſpatio, ab eadem in qua natus erat Ciuitate vnà cum fratre profugus, vt ad cæteras eius miſerias vltimum idque longè grauiſſimum infortunium accederet, bello captus à Gallis, in vincula tandem coniectus eſt. Vt mirandum maximè ſit, ſi per tot debacchantis fortunæ ludibria, viam ſibi ad ſupremam in terris maieſtatem patefecerit. Quam vbi primum conſecutus eſt, nihil habuit antiquius, quam vt inimiciſſimos ſibi ciues, non ſolum omni ſuppliciorum genere liberaret, ſed etiam (ò clementiam tanti principis admirabilem) eos, quos IVLIVS Pont. neci addixerat, in eam qua priuati fuerant dignitatem reſtitueret. Nunc verò LEO Pontifex, quo nam orationis genere, qua verborum copia, quicquid olim in eo celſitatis faſtigio conſtitutus egiſti, commemorabo? Quamuis enim clariſſimæ tuæ virtutis famæ, tenui hac mea laudatione quidquam accedere non poſſit, eximia tamen tuarum recordatio laudum, animos Auditorum meorum humaniſſimos recreabit. Quod ſi præterita nobis tempora eſſent ordine relegenda, neminem proculdubio reperiremus, qui, tametſi litterarum amore flagrans, diſciplinarum ſtudia vel temporum iniuria ſepulta in lucem eduxerit, vel ab omnibus deſtituta fouerit, aliqua tamen ratione cum LEONE comparari poſſit: qui, quo grauius poſteritati, ſuæ erga ſapientiam profuſæ voluntatis argumentum relinqueret, in formidabili illa vniuerſæ prope dixerim Italiæ conuerſione, eò litterarum gloriam perduxit, vt ſi vnquam aliàs, tunc veriſſimè dici potuerit, optima diſciplinarum ſtudia, LEONE regnante, ſua planè abſolutæ felicitatis tempora obtinuiſſe. Nam quod de Numa ſapientiſſimo Romanorum Rege memoria proditum eſt, vt efferatos armorum diuturna tractatione milites, à crudelitate in humaniorem vitam reuocaret, eorundem animos, noua illum Religione, nouiſque Legibus imbuiſſe; idem in re diſſimili præſtitiſſe dicendus eſt LEO, qui cum domi bellum offendiſſet, atque Italiam penè totam barbarorum armis exagitari cerneret, ſtudiorum litterarumque ſuauitate, ferreos planè turbulentiſſimæ ætatis homines deliniuit. Tunc enimuero PP. liberalium diſciplinarum ſtudia florere, tunc Philoſophorũ Scholas quas hoſtilis impetus antea præcluſerat aperiri, tunc humaniores litteras exultare,

tunc

tunc Sacroſanctæ arcana Sapientiæ quæ vnum Deum contemplatur liberè declarari, tunc legum tàm ciuilium, quàm diuinarum penetralia recludi, tunc Sanctiſſimæ Chriſti Legis adyta reſerari, tunc Rhetorum voces exaudiri, tunc plectra Poetarum circumſonare in illa eadem Ciuitate, in qua publica olim lege cautum erat Poetas veluti graſſatores minimè recipiendos, Tunc denique ſapientiam ipſam è medijs armorum tumultibus, atque è media barbarorum colluuione in Romanum Cœlum elatam, vno LEONE regnante reſpirare, ac ſuis quaſi quadrigis inuectam glorioſe triumphare, omnes ingenti ſanè lætitia ſunt admirati. Atque vt Romam ipſam quam velut armorum palæſtram inuenerat, theatrum faceret ſapientiæ, & quas olim Athenis floruiſſe diſciplinas legerat, eas omnes Romæ florentiſſimas cerneret vnuſquiſque, honorificentiſſimum hoc artium omnium honeſtiſſimarum gymnaſium Regijs planè ſumptibus extruxit, quod varijs in vno quoque diſciplinarum genere præclariſſimis viris ſupra quam cuiquam credibile ſit, non ſolum illuſtrauit, ſed fructus ac prouentus etiam addixit tam eximij Pontificis liberalitate digniſſimos. Cœterum nulla prorſus ratione prætermittam commemorare P. P. quantopere ſemper eruditos viros in amore atque in delicijs habuerit. Nam præterquam quod conſiliorum ſuorum participes eſſe voluit Petrum illum Bembum, & Iacobum Sadoletum viros longè doctiſſimos (quos deinceps à Paulo I I I. Sacræ purpuræ ſplendore decoratos non ignoramus) præ cæteris etiam Thomam de Vio Sanctiſsimi Doctoris interpretem ſummum, & Hadrianum, quem LEONI æqualem veneratus eſt orbis terrarum, inter Sacros Romanæ aulæ proceres honorificè retulit. Sed quamuis tanti faceret LEO viros omnes doctrina præſtantes, etiam ſi plus nimio eos identidem honoribus cumularet, nec vnquam ſe ſibi ſatisfacere putaret, nihil tamen æque amabat ac Muſas, quibus incredibiliter delectatus eſt: Sic prorſus vt (ò beatà illa, & verè aurea LEONIS tempora) eorum qui Muſas colerent, parens eſſe videretur nec minus in eo quam in ſe Poetarum quiſque ſpem ſuam collocatam eſſe cognoſceret. Vt vel ex hoc LEONIS erga Muſas amore, tandem liceat intelligere quam falsò ab Heſiodo dictum ſit, Poetæ Poetam inuidere. Iam verò quid à me de multiplici LEONIS rerum diuerſarum cognitione dicetur? quid de incredibili diſciplinarum penè omnium poſſeſſione, qua nimium quantum locupletatus eſt? Etenim ille, non ſolum quicquid ad eruditionem omnem ſpectabat (vt erat ingenio maximus) optimè nouerat, ſed etiam tanta differendi grauitate pollebat, vt (quod olim in Phædro Plato ſapientiſſimè protulit) idem à me iure pronunciari poſsit, ludicra nimirum viſa fuiſſe aliorum ſcripta præ LEONIS colloquijs. O Pontificem vere maximum, & præſtantiſſimum. O quotquot vnquam fuerunt è MEDICEA nobilitate inſignium virorum præcipuum lumen. Proh quantum tibi debemus omnes, quibus clariſſima tuæ virtutis exempla reliquiſti. Proh quantum tibi debent litteræ quas penè iacentes, parens optime ſubleuaſti? Tu Pontificiæ Maieſtatis lux admirabilis, tu dulce diſciplinarum decus, tu MEDICEAE domus ornamentum, tu fortitudinis inuictę nobile monumentum poſteris extitiſti. Quid enim tuis illis virtutibus glorioſius? Quid tua comitate iucundius? Quid tua morum ſuauitate dulcius? Quid tuæ vitæ præſtantia nobilius? Quid vnquam denique LEONE fuit admirabilius Aud. quem, non ſolum qui nouerunt, ſed qui nunquam etiam viderunt ex æquo deſiderant? Iure te LEO maxime, qui viuum coluerunt, extinctum acerbiſſimè deplorarũt. Tibi olim ipſæ diſciplinarum lacrymæ parentarunt. Tuum quoque grauiter interitum luxere Muſæ, quas inter tot inimicorum furores, inter tot bellorum fulmina, tutas reddere potuiſti. Tibi mœſtiſſima ſonuère Poetarum plectra quæ tot honoribus illuſtraſti. Te extincto, humani generis delicias, & ſuas extinctas eſſe Roma conqueſta eſt. Tuis olim virtutibus poſteritati declarandis deſudauit hiſtoria, nunc verò in hac florentiſſima diſciplinarum omnium Academia, quam litteris propagandis, nobile tuæ virtutis monumentum fundaſti, meritò Patres iſti ſapientiſsimi, lugubri hac ſui doloris teſtificatione tuum funus exornant. Atque vtinam maiora poſſent, quandoquidem à te maxima olim acceperunt officia. Illud tamen Pont. Opt. tibi horum omnium Patrum nomine habeo polliceri eos, quandiù MEDICEAE Familiæ ſplendor extabit, quandiu tuum in orbe terrarum durabit nomen, quandiu viuemus omnes, quandiù ſapientiſsimorum hominum vocibus hæc gymnaſia perſonabunt, tandiu tuas laudes, tuarumque virtutum memoriam prædicaturos.

A. M. D. G.